

rum. Item: *Falsa causa non est causa, & Iniquus modus  
modus non est.* 11. Dicitur aliquid verum κατ'  
ἐπιμονὴν καὶ ὁπίτδξιν, siue respectu finis: quando sci-  
licet, finem suum, ad quem ordinatur, actu conse-  
quitur, vtcunque interim in cursu suo aliquando in-  
terrumpatur. Theologis quibusdam Verum perma-  
nentia aut perseuerantia dicitur. Itaque glossa Gra-  
tiani *Verum* pro perseuerante, vel ad vitam ducente  
recte exponit. Et egregie Augustinus. *Tunc vere sunt*  
*quod appellantur, si manserint in eo propter quod sic ap-*  
*pellantur: si autem perseuerantiam non habent, id est eo*  
*quod coeperunt esse non manent, non verè appellantur quod*  
*appellantur & non sunt: apud eum enim hoc non sunt, cui*  
*notum est quid futuri sunt, id est, ex bonis, mali.* Et ipse  
Christus, *Si manseritis in sermone meo, verè disci-*  
*puli mei eritis.* Quæ omnia de finali perseuerantia  
intelligenda sunt, siue illa perpetua fuerit seu inter-  
rupta peccato ac denuo reparata finem attigerit.  
Huic verò, frustraneum, vanum, atque inutile op-  
ponitur 2. Cor. 6. εἰς κενὸν ἢ χάριν ἢ Θεῷ δέξασθαι. 1.  
Cor. 15. *frustracredidistis.* adde Luc. 14. de frustraneo  
ædificatore. Et quoniam rerum omnium perfectio,  
adeoque ipsa quodammodo essentia in fine præci-  
puè consistere videtur. ὅτε γὰρ λόγος καὶ τὸ ἔνεκα ὡς  
τέλος τ' αὐτὸν, inde factum est, vt Theologi quoque  
semen illud gratiæ quod gloriæ frugem non fecerit,  
perinde aliquando habendum esse dixerint, atque si  
omnino non fuisset. ἀπὸ ἑτέρου γὰρ ἅπαντα περὶ  
προϋεῖν δίκαιον. Vnde Tertullianus, *Nemo Christianus*  
*nisi qui ad finem vsque perseuerauerit.* Et Hieronymus:  
*Non queruntur in Christianis initia, sed finis.* Scilicet  
ICTorum illud hic locum habet: *Nihil videtur actum,*  
*si quid superest quod agatur.* Et vetus illa Corinthio-  
rum formula apud Viétruvium, OPERE PERFECTO

Gratian. 2.  
de pœnitent.  
cap. 2.

Augustinus  
de corrept.  
c. 2.

Iohan. 8, 31

2. Cor. 6. 1.

1. Cor. 15, 2  
Luc. 14.

Aristoteles  
de gen. ani-  
mal. cap. 1.  
Aristotel. 2.  
de anim.  
cap. 4.

Tertull. de  
Prescript.

L. penult. C.  
ad S. C. Syl-  
lan.

Viétruv. L.  
10.